

De suffusionis per acum curatione : praefatus ad audiendam orationem qua professoris medicinae publici munus a. d. XXII Febr. [M]DCCLXXXIII h.l.q.c. auspicabitur humanissime invitat / D. Christianus Fridericus Ludwig.

Contributors

Ludwig, Christ. Frid. 1751-1823.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Ex officina Klaubarthia, [1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fjcysn2e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
SVFFVSIONIS PER ACVM
CVRATIONE

PRAEFATVS

AD

AVDIENDAM ORATIONEM

QVA

PROFESSORIS MEDICINAE PVBLICI

MVNVS

A. D. XXII FEBR. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. C.

AVSPICABITVR

HVMANISSIME INVITAT

D. CHRISTIANVS FRIDERICVS
LV DWIG.

LIPSAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

DE

SAFETY VALVE PER ACRYL

CONSTRUCTION

PRELIMINARY

AND

AVOIDING ORATION

Q. V. A.

PROFESSOR OF MEDICINE PUBLIC

M. V. N. V. S.

A. D. XXII FEBR. CLOCCXXIIII.

H. L. G. C.

AVOIDING

MANUSCRIPT INVITAT

D. CHRISTIANUS FRIDERICS

L. V. D. W. I. G.


LIPSIÆ

EX OFFICINA ELABORATA

DE


SVFFVSIONIS PER ACVM CVRATIONE.

Praeter istas, quae calculum e vesica extrahere, intestinum ex sede motum reponere, et capitis vulneribus mederi docent curandi vias, suffusionis curatio sine dubio in maxime celebratis semper fuit. Quod factum esse videtur et ob visus organi dignitatem et ob ipsius mali frequentiam. At vero non vnam eandemque medendi adhibuerunt chirurgiae magistri methodum, sed duplicem, eamque omnino sibi contrariam, aliis ex oculi artificiosa capsula obscuratam lentem extrahentibus, aliis eiusdem mali causam in oculo ipso deducuntibus. Itaque primis temporibus ea medendi ratio praeualuit, quae visa est propemodum omnibus et quam maxime conueniens, neque adeo periculosa; vsque dum medio, quo nunc viuimus, seculo celeberrimi chirurgi aliam proponerent curationem, quae, quamuis ab initio priori palmam praeripere videbatur, tamen neque omnibus, neque recentissimis inprimis magistris omnino fuit probata. Etenim Veteres et mediae aetatis scriptores et recentiores quoque chirurgi, deprimere inter oculi tunicas lentem crySTALLINAM suaserunt. Nolo iam omnes scriptores, qui a primis chirurgiae initiis hanc curandi viam commendarunt, recensere; sufficiat, modo praecipuos nominasse, inter quos



A. C. Celsus^{a)}, *Paulus Aegineta*^{b)}, *Auicenna*^{c)}, *Albucasis*^{d)}, *Arn. de Villanova*^{e)}, *Guido Cauliacensis*^{f)}, *Valescus de Taranta*^{g)}, *Io. de Vigo*^{h)}, *Pareus*ⁱ⁾, *Bartisch*^{k)}, *Hier. Fabricius*^{l)}, *Durantes Scacchius*^{m)}, *Brisseau*ⁿ⁾, *Antonius Maitre Jean*^{o)}, *Franciscus Petit*^{p)}, *Laur. Heister*^{q)}, *Duddell*^{r)}, *Ferren*^{s)}, *S. Tuesius*^{t)}, *Günz*^{v)}, *Pallucci*^{w)}, *Troschel*^{x)}, et plures^{y)} illam curationem prae caeteris explicarunt, emendarunt et perfecerunt. Erant autem medio seculo hoc chirurgorum qui

- a) Lib. VII. cap. 7.
 b) Lib. III. Cap. 22.
 c) Lib. III. fen. 3. tract. 4. cap. 20. p. m. 550.
 d) *Halleri bibl. chirurg. I. 137.*
 e) *breuiar. Lib. I.*
 f) *chir. magna. tr. 6. doct. 2. p. m. 71.*
 g) in *philonio pharmaceutico et chirurgico* edit. *G. W. Wedelii* Frf. et Lips. 1680. 4. p. 170.
 h) *chirurg. lib. 4. c. 7.*
 i) *Vffenbach thes. chirurg. p. 356.*
 k) *οφθαλμοδοουλια* 1583. fol. p. 60.
 l) p. m. 24.
 m) cf. *Halleri biblioth. chirurg. I. 271.*
 n) *Traite de la Cataracte et du Glaucoma* par Mr. Brisseau le fils à Paris 1709. 12.
 o) *Traite des maladies de l'oeil* a Paris 1722. p. 170. seqq. et *Boerhaave de morbis oculorum* Goett. 1750. p. 127. seqq. 8.
 p) *Memoires de l'acad. R. des sciences* a Paris 1725. 1726. 1730 et in variis epistolis seorsim editis. cf. *Halleri diss. chirurg. T. V. et Bibl. chir. II. p. 1.*
 q) in variis scriptis cf. *Halleri bibl. chirurgica* T. II. p. 5.
 r) *A Treatise of the Diseases of the Horny-Coat of the Eye and the various Kinds of Cataracts* London 1729. 8.
 s) *Quaest. Quinam sint praecipui, quomodo explicentur et curentur lentis crystallinae morbi?* Paris 1732.
 t) *Traite des maladies des yeux* Amst. 1736. 12. p. 219.
 v) *I. G. Günz et I. P. Schnitzlein de suffusionis natura et curatione* Lips. 1750. 4. c. f.
 w) *Description d'un nouvel instrument propre a abaisser la cataracte avec tout le succes possible* à Paris 1750. 12. — *Histoire de l'operation de la cataracte faite a six soldats invalides par Palucci* Paris 1750. 12. *Methode d'abbattre la cataracte par Palucci* a Paris 1752. 12. — *Lettre a Mr. le Marq de ** sur les operations de la cataracte faites par Palucci* 1751.
 x) *Buchner et Troschel de cataracta omni tempore deponenda.* Hal. 1753. 4.
 y) *I. I. Wepfer* cf. *de Vigiliis* *Bibl. chirurg. T. II. p. 1269.* *C. Solingen* p. m. 83. *Ant. Benevolief de Vigiliis* p. 1290. *I. Taylor* cf. *ibid.* p. 1297. *Petrus Idema et Petr. Rablawa* *ibid.* p. 1302. et 1306. *Io. de Gorter* *chir. repurg.* Lips. 1762. p. 247. *Wahlbom*



quidam, qui, cum illam operationem non ab omni difficultate liberam animaduverterent, crediderunt lentem potius ex oculo educendam esse, inter quos *Freitag* et inprimis *Daviel* fuerunt sane primi et principes, quibus se multi adiunxerunt affectae, ita, ut fere vno ore in omnibus chirurgiae scholis lentis extractionem eius depressioni praeferendam esse plurimi existimarent. Fuerunt tamen, ut fieri solet, semper doctissimi et exercitatissimi chirurgi, qui non semper fidem huic curationi temere tribuerent et potius alteram methodum in quibusdam saltem casibus anteponendam iudicarent, e quorum numero *Sharpium*^{a)}, *Warnerum*^{a)}, *Gendronum*^{b)}, *Zachariam Vogelium*^{c)}, *Olof Acrel*^{d)}, *Janin*^{e)} et *Morand*^{f)} omissis aliis, modo nomino. Inter recentissimos autem chirurgos et in hoc genere claros scriptores nuper varii extrahendi artificium in dubium vocare ausi sunt, istorumque lucubrationibus effectum est, ut prisca methodus plurimis denuo commendaretur. Eminent inter hos *Percival Pott*^{g)}, *Henr. Calli-*

A 3

sen,

bon in actis suecicis ad annum 1757. et seqq. 1. *Fr. Henkel Abb. der Chirurg. Operationen* 1. Stück Berlin 1770. 8. 2. *A. F. Pallas Chirurgie* Berlin 1776. 8. p. 160. seqq. 3. *H. Niemand de suffusione*. Arg. 1676. 4. *P. G. Schacher et G. F. Jäschke de cataracta* Lips. 1701. 4. 5. *I. C. T. Wolf de cataracta* Gieslæ 1774. 4. etc.

2) *A critical Inquiry into the present state of Surgery* Lond. 1761. 8. p. 264.

a) *Cases in Surgery with Remarks* by *Joseph Warner* London. 1754. 8.

b) *L. F. Debais Gendron Traité des maladies des Yeux*, à Paris. 1770. 8.

c) *Anatomische, chirurgische und medicinische Beobachtungen und Untersuchungen* Rostock 1759. 8.

d) *Chirurgische Vorfälle* Götting. 1777. 1. Band. S. 105 seqq.

e) *Precis d'operations de chirurgie par le Blanc* Tom I. p. 512 et *Memoires et observations anatomiques — sur l'oeil et sur les maladies, qui affectent cet organe* par *Jean Janin* à Lyon, et à Paris 1772. 8.

f) *Opuscles* à Paris 1772. 4. II. p. 222.

g) *Works* Vol. III. Lond. 1779. 8. p. 171. seqq. et *Modern Improvements in the practice of Surgery* by *Henry Manning* M. D. Lond. 1780. 8. p. 142. seqq. et *Richters chir. Bibl.* III. p. 567. seqq.



sen^{h)}), *Stoll*ⁱ⁾), *Siebold*, vti ex amicissimo D. *Weidmann* comperi, et *Mohrenheim*^{k)}). Quae res, cum plane attentione omnium eorum, qui de rerum natura et morborum medela seuerius cogitant digna sit, eam disquirere et horum virorum rationes ponderare nostri nunc erit. In vniuersum autem crediderim, illos, qui lentem extrahendam censent anatomen subtiliorem, illos vero, qui ipsam deprimendam iudicant, naturam potius consulere atque sine dubio plures depressione, quam extractione curatos esse aegros.

Quae cum ita sint, liceat incommoda et commoda vtriusque methodi ponderare atque ex his, quatenam optima sit et quibusnam casibus quaelibet sit accommodatissima, concludere. Enarrarunt eruditissimi viri depressionis incommoda et difficultates, inprimis *Tenon*^{l)}), *Fussieu et Thurant*^{m)}), *Quelmalz*ⁿ⁾), *Lander*^{o)}), *Schurer*^{p)}), *Guerin*^{q)}), et *Celb. Richter*^{r)}); a quibus recensentur varia et sat speciosa aduersus suffusionis depressionem argumenta, quorum alia ab aliis iam refutata sunt, alia mihi refutanda sumo. Metuunt primum in hac chirurgia aponeuroseos musculi abductoris, neruorum ciliarium, processuum ciliarium, ligamenti ciliaris et vasorum choroideae laesionem. Qui haec affirmant, cogitent hasce partes laedi non posse, nisi vel acus iusto propius corneam introdu-

h) Institutiones chirurgiae hodiernae Hafniae 1777. 8. p. 551.

i) Venerabilis noster praeceptor in ratione medendi III. p. 443.

k) *Beobachtungen verschiedener chirurgischer Vorfälle Wien* 1780. 1. Band, 8. p. 46. 56. 61.

l) Thes. *Andouille et Tenon* de cataracta Par. 1757. c. f. 4.

m) in thesi cf. *Halleri* diff. chirurg. II. 165.


n) Depositionis cataractae effectus. Lips. 1748. 4.

o) diff. de cataracta Edinb. 1758. 8.

p) *I. Lud. Schurer* num in curatione suffusionis lentis crystallinae extractio depotioni sit praeferenda. Arg. 1760. 4.

q) Essai sur les maladies des Yeux par *Guerin* a Lyon 1769. 12. p. 351.

r) de variis cataractam extrahendi modis Gott. 1766 4. et in Fasc. obs. chirurg. Gott. 1770. 8.



troducatur, quemadmodum nonnulli peruerse faciunt, vel in ipso oculo ita versus anteriora ducatur, vt debeat hasce dilacerare partes. Quos errores et peruerfas curandi methodos egregie perstrinxit *Günzius*^{s)}, qui locum inter finem processum ciliarium et ortum aponeuroseos musculi abducentis ad perforandam scleroticam omnium maxime idoneum censet. A laesis choroideae vasis non magna incommoda proficisci mihi videntur, quia raro magna interius oritur inflammatio. Processus ciliares porro et ligamentum eiusdem nominis in rite instituta administratione saluos seruari posse, et ex ipso illo argumento patet, quo demonstratur, lentem in statu morboso exsiccata post pupillam minus occupare spatium ita, vt seiungatur a pupilla. Quod argumentum prae ceteris proponunt *Pouffe et Gentil*^{t)}. Porro affirmant posse acui iridem laedi; sed hoc non nisi inepta encheiresi^{v)} fieri potest, et nonne idem in extractione euenire multo facilius potest, et multo frequentius solet? Disrumpi in varias particulas depressam suffusionem alii enunciant. Atque hoc etiam nonnunquam sane accidit, at tunc vel illae particulae, quae iam depressae sunt, eo facilius soluantur, vel particula in anteriorem cameram translata, in illa facile dissoluitur vel extractionis administratione ex ipsa eliminari potest. Legitur apud *Olof Acrel* curationis historia, in qua singulas cataractae portiones se demississe scribit^{w)}. Posse lentem in ipsa operatione in cameram anteriorem propelli, vel ipsam depressam iterum reascendere, iidem monent. His vero respondeo in priori casu extractioni adhuc locum esse^{x)} et in posteriori depressionem iterum tentari posse et debere. Monent enim optimi scriptores inter quinquaginta casus, si suffusio rite demissa fuerit, vix

s) l. c. Cap. II.

t) in thesi cf. Halleri diff. chirurg. II, 183.

v) *Günz* l. c. p. 36.

w) l. c. I. p. 125. *Mobrenheim* l. c.

x) *Heister Institut. chir.* p. m. 576.



vnam vel alteram reascendisse. Aliis lens pondere suo vitreum humorem comprimere, circulum ciliarem retrahere et inflammationes procreare visa est. At vero, quod inflammationes attinet, illae in interioribus non tam subito oriuntur et gignuntur, quemadmodum externis in locis, et dein lentem depressam sensim exsiccare eiusdemque volumen imminui, atque dissolui a multis observatum est, ita, vt humor vitreus et corona ciliaris non tantum detrimentum capere queat, quod etiam ipsa circumspecta et curiosius peracta administratione praecauetur. Potest, aliis observantibus, acus cellulas humoris vitrei dilacerare; quod si euenit, non ita periculosum iudicandum est^{y)}, atque idem saepissime in extractione atque multo maiore cum periculo accidere, quis est, qui nesciat? Restant autem et alia argumenta, quae haud minus pondus habere videntur. Nempe a plerisque affirmatur, locum habere non posse depressionem, si cataracta mollis vel semimollis sit. Sed huic observationi obiiciendum est, quamuis multam prae se ferat speciem, illam, quam nos commendamus, curandi viam, si suffusio vel mollis vel semimollis fuerit, multo felicius, quam extractionem adhiberi. Quod si vero per infelicem curationem mollis cataracta defluit et cum aqueo humore miscetur, tunc illa in ipso humore mox dissoluitur ita, vt plerumque nullum omnino eius vestigium remaneat et camera anterior iterum pellucens appareat. Vtitur in illo casu Cl. *Mohrenheim* vitriolo coeruleo in aqua ad collyrium soluto^{*)}. Torquet *Pott*, si suffusionem mixtam curare suscepit, acum in ipsa cataracta saepius, et vulnere in capsulam lentis inciso, nihil se habere putat, quare impediatur, quominus ipse semimollis lentis humor in cameram anteriorem defluat. Per paucos ignorare multo plures difficultates in extrahendi negotio

y) *Günz* l. c.

*) l. c. p. 61.



negotio mollis siue semimollis cataractae obuenire, mihi credibile est. Obesse duram atque solidam cataractam et indissolubilem visui, est aliorum atque celeberrimorum chirurgorum et medicorum opinio. Hanc vero quoque duriores, quamuis non semper, tamen saepe, dissolui, argumento sunt observationes, anatomica praeparatio, instituta experimenta, lentes post extractionem mox dissolutae. Factum vero est, vt cum perpaucae atque accuratae dissectiones cadaverum instituerentur, in quibus suffusionis depressio facta erat, chirurgi crederent, cataractam haud dissolui. Credit *Pott* vnamquamque lentem obscuratam, duriores quoque volumine imminui, dissolui et euanescere, simulac e capsula exclusa fuerit, illosque errare, qui lentem duram atque solidam cum lente crystallina piscis cocta comparauerint ²⁾). Sunt, qui credant semper internas oculi partes dilacerari depressa lente, sed hoc se non ita habet, si modo depositio a chirurgo bene administratur, sicuti iam supra a nobis dictum est. Superfunt et aliae difficultates et incommoda, quae velamenti lentis cicatrices, et vuae per lentem factam irritationem concernunt, quae utpote a *Günzio* examinata ³⁾) et egregie exposita breuitatis studiosus praetereo.

Sed progrediar his examinatis ad expositionem difficultatum, quae cum lentis extractione coniunctae sunt, quibus depressionis commoda subiungam. Sed brevis ero in istis commemorandis. Non quidem in omnibus, at tamen in multis casibus extractionem reiicio atque improbo, ob iridis vulnus eiusdemque prolapsus ⁴⁾), cuius plura vidi exempla, ob humorem vitreum effluentem, ob velamenti lentis et independentem processuum ciliarium laesionem, ob corneae, quae

2) l. c. p. 202.

3) diss. cit. Cap. II.

4) *Gataker* cf. Comm. Lips. X. 696.




quae visum turbant, cicatrices, ob exsiccationem camerae anterioris post aquei humoris effluxum, ob nimiam saepe camerae anterioris angustiam ^{c)}, ob aerem cum impetu violento irruentem ^{d)}, ob inflammationes, quibus saepe lippitudines nascuntur ^{e)}, ob staphylomata, quae a vasculis vueae laesis gignuntur, ob motum vueae laesum, quam mydriases incurabiles subsequuntur, ob oculi mobilitatem ^{f)}, ob pupillam saepe nimis arctam, ob situm oculi nonnunquam nimis profundum in orbita, etc. Interim tamen non ignoramus extractionis curationem interdum cum fructu administrari, uti infra fusius explicabimus. Nollem enim talis videri, qui in vniuersum extractionem damnaret, cum bene sciam et illam curationem sua habere commoda. Vtraque enim methodus laborat quibusdam difficultatibus et vtrique sua est propria praerogatiua. Commoda enim depressionis non tam exigua et vilia sunt, quemadmodum statim videbimus. Conseruatur nimirum hac curandi via pupilla, pars ex praecipuis oculi, uti mihi videtur. Si enim caute et circumspecte operatio administratur, tunc sine laesione ligamenti ciliaris, processuum ciliarium et vueae posterioris, quae partes pupillam spectant, depressio fit. Aliud, neque id minus, commodum est, quod neque omnis humor aqueus egrediatur, neque humor vitreus protrudatur, id quod in extractione curationi saepe obest. Porro vel omnino inflammatio et inflammationis symptomata cauentur vel modo minuta aliqua suboritur. Exteriori enim vulnere acus perpauca laedit vasa, neque interiora vulnera ita periculosa censerī, cognitum est. Vidi Viennae in nosocomio S. S. T. foeminam 45 annorum, cuius oculi tunica adnata ita irritabilis erat, ut modo digito admoto iam inflam-

c) Gataker l. c.

d) Gataker l. c.

e) Gataker l. c.

f) Warner l. c.



flammaretur. Quae, si extractione curatio tentata fuisset, sane maxima affecta fuisset inflammatione, depressione autem egregie conualuit. Quod repetitio curationis locum habeat, id, quamvis plures aliter sentiant, haud leue commodum censeo. Deposuit *Warner* ^{g)} quae r reascendentem cataractam, usque tandem aegrum a malo liberaret; extant exempla plura apud *Valescum de Taranta* ^{h)}, *Ianin* ⁱ⁾ et alios ^{k)}, et vidimus ipsi similia. Et quidem eapropter repetitionem operationis tanquam commodum huius methodi praedico, partim, quia altera curatio, quae extractione fit, hoc non permittit, partim, quia, quamvis operationem repetieris, malum tamen nec increfcit nec augetur. Sic et in illo aegrotto demittitur suffusio secure, cui est pupilla arctior, camera anterior haud spatiosa, et oculus in orbita nimis profunde delitescens. Neque desunt alia argumenta, quae commemoratae methodo fauent. Sic obseruatione et experientia constat, cataractas sponte descendisse, volumen lentium in oculo ipso imminutum esse. Primum quod attinet, referuntur talia exempla a *St. Yves* ^{l)}, *Gendron* ^{m)}, *Eschenbach* ⁿ⁾ et aliis ^{*)}. Lentem autem imminui et dissolui, probant anatomica praeparatio, extractio, obseruationes et experimenta nostra. Quae disquisitio, quo magis spectat ad nostrum argumentum, eo quoque accuratius examinanda est. Quando nimirum lens crySTALLINA anatomica arte praeparatur et eiusdem capsula integra circa lentem seruatur, tunc quidem ista non dissoluitur, tamen eius volumen imminuitur. Quod si vero

B 2

capsu-

g) l. c.

h) l. c. p. 171.

i) l. c.

k) *Olof Acrel*. l. c.l) l. c. p. 184. et *Halleri bibl. chirurg.* II. 74.m) *Richters chirurgische Bibliothek* I. 4. 128. seqq.n) *C. E. Eschenbach* *Observata anat. chir. med. Rostochii* 1769, 8. p. 38.*) *Henkel* l. c.



capsula separata fuerit, lens vel tota vel ex parte defluit. Expertus sum idem in lente humana, equi, bouis, cuniculi leporis, anseris et aliarum bestiarum. Idem extractio probat, qua facta, si lens ex capsula eximitur, corpus crystallinum, si non fuerit nimis durum, dissoluitur, quod vnicuique notum est, qui eiusmodi operationibus spectator interfuit. Videtur enim lentis figura et forma ab ipsius sede solum pendere. Observationes doctissimorum virorum adhuc plura ostendunt. Sic cataractam depressam vel in oculo omnino euanuisse, vel saltem eius volumen imminutum esse, obseruunt *Deidier* ^{o)}, *Henkel* ^{p)}, *Ianin*, *Acrel* et *Richter*. Idem testatur *Boerhaave*, qui (de morbis oculorum p. m. 158.) dicit: *depressa hac ratione crystallina lens sensim adcrefcit vuae inferiori et tandem mole minuitur, quemadmodum extra corpus, si in aliquo liquore contineatur, mirifice minui deprehenditur*. Commemorat *Ianin* exemplum depressae atque iterum erectae lentis, cuius volumen ita imminutum erat, vt sponte per pupillam in cameram anteriorem prolaberetur ^{q)}. Offert *Acrel* sectionem cadaueris hominis, in quo olim suffusio demissa erat et humor crystallinus penitus dissolutus fuerat et euanuerat ^{r)}. Neque ab eiusmodi obseruationibus abhorret *Cel. Richter* ^{s)}. Confirmantur denique istae obseruationes experimentis nostris, quae in animalium brutorum cadaueribus instituimus.

Immisimus in lagenam vitream formae rotundae, quae bulbi oculi figuram imitaretur et forsan vnam vnciam fluidi cuius-

o) Consultations et obseruations par *Ant. Deidier* Paris 1754. 12. cf. Halleri biblioth. chirurgica II. 16.

p) l. c.

q) Refert *Ianin* historiam cataractae, quae ter depressa ascendit in cameram anteriorem, qua aperta mi-


nor vulgari lenti apparuit. *Journal de Medecine* Tom. XXXIV. 1770. et l. c. p. 267.

r) l. c. I. p. 109.

s) *Chirurgische Bibliothek* I. 4. 13. seq.



cuiuslibet caperet, lentem capsula denudatam ita, vt inferiorem lagenae locum occuparet, cui humorem vitreum superfudimus, lagenae vero orificium vesica humida suilla clausimus. Vidimus post duos dies vitri interuentu lentem in quatuor partes disruptam, et cum post quinque vel sex dies ipsam ex lagena parua emissemus, spumae vel glutinis mollis adinstar facile in aquam immissa dissoluebatur. Repetiimus haecce experimenta saepius atque eadem semper obseruauimus. Alia experimenta ita institui, vt in capite mactatae ouis lentis depressionem fusciperem, et post aliquot dies lentis naturam examinarem. Dissecui nimirum post quinque dies oculum, atque reperi lentem crystallinam disruptam atque circum circa emollitam; in medio vero haesit nucleus, qui non facile soluebatur, quamuis ipsum aeri exponerem. Repetii et haec pluries et idem semper inueni. Sed alio tempore in alio mactatae ouis oculo demisi cum lente acum, eumque demum post duas septimanas dissecui atque tum lentem quidem dissolutam, sed reliquas partes iam putredine corruptas deprehendi. Denique in cuniculo viuo, cui oculus sanus erat, depressionem administraui. Sed experimentum ob motum animalis perpetuum non bene processit; deprimitur enim lens sana multo difficilius, quam quae suffusione corrupta est, et accedit dein etiam a laesione grauis et insignis inflammatio, quae in animali haud tolli potest et qua animal iusto nimis excrucietur. Quapropter ab hisce experimentis vltius capiendis abstinui. Lubenter in oculis e. g. equorum, qui saepe suffusione laborant, similia instituissem experimenta, at cum mihi talis opportunitas nunc non contigerit, illa experimenta, aequae ac ea, quae cum diuersis liquoribus alcalinis, saponaceis et aliis fluidis tentari possent, in aliud tempus differo.



Sed de instrumentis quoque dicendum est, quae a chirurgis ad depressionem idonea iudicantur. Sunt nimirum acus, quibus haec curatio suscipitur et forma et materia diuersae. Alii rotundis subulatis*) vtuntur, alii planis**) et attenuatis, alii acutioribus, alii obtusioribus. Aliae ex auro vel argento formantur, aliae ex chalybe fiunt. Quas optimas censeamus mox declarabimus, si prius praecipuas earum diuersitates indicauerimus. Scripserunt de hisce instrumentis *Salmon*^t), *Garengot*^v), *Heister*^w), *Heuermann*^x), *Henkel*^y), *Perret*^z), *Brambilla*^a), et alii**).

Bartisch commendat acum rotundam subulatam ex argento confectam, apice inauratam, globo rotundo et manubriolo instructam^b).

Hildanus proponit quoque acum rotundam subulatam et scamnum, in quod suffusione laborantem dum curationem administraret, sedere voluit^c).

Brisseau acus est lata atque sulcata, mucrone latiore atque acuto et globulo instructa, ne nimis profunde in oculum descendat, habet scapum paululum compressum atque in marginibus rotundiores**). Commendatur ab *Heistero*^d), *Günz*^e) et *Plenk*^f).

Solin-

*) *Guil. Cotter anatomy of hum. bodies.* *Perret* Paris 1772. p. 359. seq. Tab. 116.

**) *St. Yves* l. c. p. 224.

t) *Synopsis medicinae* London. 1681. 8.

v) *Nouveau Traite des instrumens de Chirurgie les plus utiles.* Paris 1727. 12. T. I. ad p. 433.

w) *Institut. chirurg.* p. m. 579.

x) *Abhandl. der vornehmsten chirurgischen Operationen.* Copenh. und Leipz. 1754. 8. V. II. p. 585.

y) l. c.

z) *L'art du Coutelier* -- par M.

a) *Instrumentarium chirurgicum Viennense* Tab. X.

**) *Schacher et Jaeschke* l. c.

b) l. c. p. 64.


c) *Cent. IV.* p. m. 297.

**) l. c. T. I. Fig. 2. p. 202. seq. et *Perret* l. c. Tab. 116. f. 5.

d) *Instit. chirurg.* p. m. 575.

e) l. c. p. 50.

f) *De morbis oculorum.* Viennae 8. 1777. p. 150.



Solingeni et Nuckii acus ad perforandas oculi tunicas et suffusionem curandam ab *Heistero* expictae sunt ^g).

Bern. Albini acus cuspidem planam et obtusorem habet ^h).

Ferreni acus plama in breue acumen desinit, globulo vel potius eminentia in utroque latere conspicua, ne nimis profunde in oculum decidat, instruitur atque habet manubriolum satis longum, octangulare, signo notatum ⁱ).

Petiti obtusior est ^k).

Taylor utebatur teste *I. Z. Platnero* acu, quae cum illa conuenit, quam *Sharp* depinxit ^l).

Inuenit *Palucci* quoque ad depressionem cataractae duo instrumenta, quae tamen non ita constructa sunt, ut promeruerint laudem doctorum in arte chirurgica magistrorum. Inuenit nimirum siphonem cum acu abscondita et annisus est imprimis acum ita collocare in vagina aliqua, ut posset punctione facta reduci in ipsam, ne laederet partes oculi internas et in reliquis, quae facienda supererant, vagina usus est. Perpauci autem et fortasse nemo praeter inuentorem haec instrumenta in usum vocarunt ^m).

Pottii acum, cum nullibi depictam viderim, secundum exemplar, quod mihi ad manus est et quod ex Anglia importavi, mihi describendam sumo. Habet manubriolum octangulare quatuor pollicum, tribus punctis albis eburneis in eo latere notatum, in cuius anteriori parte cuspiis est paululum eleuata. Acus vero ipsius, quae chalybea est, longitudo est pollicum

g) *Institt. chirurg. Tab. XVII. 7. 8.*

h) *Bern. Albini et L. D. Gosky Diff. de cataracta Ffti ad Viadr. 1695. 4. Fig. F. et Halleri dissertationes*

chirurgicae II. 47. et Heister l. c. Tab. XVII. 9. 10. 11.

i) *Henkel l. c. I. Fig. 1. et 19.*

k) *Henkel l. c. I. Fig. 9.*

l) *l. c. Tab. X.*

m) *cf. Heuermann l. c. II. p. 586.*



pollicum duorum, et qua partem posteriorem rotunda est, qua anteriorem vero in cuspidem excurrit, cuius vna acies omnino plana est, altera vero ex duabus iterum componitur, quarum quaelibet lineas duas lata est. Vidi ipse plus vna vice, *Pottium* cum hacce acu suffusionem curasse.

Vna ex recentissimis est *Mohrenheimii* acus argentea, conica, subulato-rotunda, quae cum illis, quibus olim utebantur oculorum medici maxime conuenitⁿ⁾). Vidi ipsum ope huius acus dextre suffusionem demittentem. Proposuit loco cochlearis *Dauieliani* hamulum, quem ad tunicarum portiunculas remouendas vel extrahendas adhibet, de cuius vel commodis vel incommodis *Richter* legendus est^{o)}).

Sunt fortasse adhuc plures, quas, cum non magnopere fuerint celebratae, consulto et sciens omitto. Interest enim potius, quae ex iis, quas recensui, optima sit, scire. Anteponerem semper eas, quae ex chalybe fiunt, aureis et argenteis, quas, quamuis aerugine non obducantur, nimis molles iudicauerim. Laeuiganda est vero semper acus chalybea, priusquam oculo admoueat, traiecta per pannum densum, ne superficies ipsius aspera sit. Rotundis, licet egregie perforarent tunicam scleroticam, tamen non vterer, quoniam capsulam non bene scindunt, acutas reicerem, quia facillime partes internas laedunt. Optima acus, teste *I. Z. Platnero*, qui tamen aureas caeteris anteponit^{p)}), ista est, cuius mucro paululum tenuatus, latior, non vero nimis acutus est^{q)}). Eligerem mihi ad curationem eapropter talem, quae haberet mucronem tenuatum latiore, cuius margo inferior acutus, superior vero obtusior esset, cum inferiori scinderem lentis velamentum, dum obtusior defenderet reliquas partes a laceratione.

n) l. e. Tab. I. Fig. 1. et 2.

o) *Chirurgische Bibliothek* V. 720.

p) *Instit. chirurg.* p. 896.

q) *ibid.*



sione. Ad figendum oculum non ita multis ferramentis vt, speculis e. f. p. in hac, quam commendamus operatione opus est. Vel enim solo digito, qui cantho oculi, interno opponitur, oculus satis firmatur, vel nullo omnino adminiculo indiget chirurgus, qui habet manum stabilem.

Supereſt, vt breuiter de ipſa per ferramenta curandi ratione dicam. Suſciperem ſane, quod fortasſe plures autumabunt, poſt *Pareum*^{r)}, *Heiſter*^{s)}, *Platner*^{t)} et *Günz*^{v)} et alios^{w)} inuilem laborem, ſi longus in explicanda huius curationis adminiſtratione eſſem, at cum mihi propoſuerim, modo breuiter praecipua deſcribere et quae recentioribus temporibus ſunt prolata et obſeruata adiicere, excuſationis alicuius locum me habiturum eſſe ſpero. Sunt autem in illa curatione alia, quae antequam eam ſuſcipias fieri debent, alia, quae in ipſa eius adminiſtratione attendenda, alia denique, quae poſt illam curanda ſunt. Maturitatem cataractae, quam dicunt, expectare, neceſſe non eſt, cum mollior ſuffuſio ſaepe melius deprimatur vel diſſoluatur, quam quae iam nimis dura eſt et cum velamento concreuit. Admonitiones aliquas poſtulat illud praeparandi aegrum conſilium, quod alii prorsus repudiant, alii vero commendant, iubentes, vt corpus purgetur clysmate euacuetur et totum lauetur, pediluuiâ adhibeantur et aegro munditiei cura commendetur. Occupat etiam medentium animos aegri aetas, ſexuſ, humorum conditio eiusque vitae genus. Saepe enim multo feliciter in ſene deprimi-
tur

r) cf. *Vffenbachii* theſ. p. 356.

s) *Inſtitt. chirurg.*

t) l. c.

v) diſſ. cit.

w) cf. ſcriptores, quos pag. 4. laudauimus. Pater in *inſtitt.* p. 302. *Wahl-ſohn* in *actis ſuecicis* ad annum 1757.

qui *Yveſii* methodum ſequitur, *Oloſ Acrel*, qui ſecundum *Ferren* curat, *Chandler* in a treatiſe on the diſeaſes of the Yye and their remedies etc. London 1780. 8. *Henkel* l. c. I. §. 14—24 et plures alii.



tur lens cryſtallina, quam in iuvene, atque ſolliciti chirurgi ſemper fluxum menſtruum, fluxum haemorrhoidalem, plethoram, acrimoniam quamlibet, et opificii genus, quod tractat aeger reſpicientes, oculum, qui a manu curam poſtulat, non prius curare annituntur, quam fluxus ſanguineus quilibet deſederit vel plethora in corpore praeualens fracta fuerit, vel ipſi acres humores temperatiores effecerint vel de aegri genere vitae poſt curationem cogitauerint. In adminiſtratione ipſa temporis faciendae curationis, ſitus aegri et inſtrumentorum delectus habendus eſt. Vernale et autumnale reliquis plerumque anni temporibus anteponunt, attamen quodcunque tempus mihi conuenire videtur, ſi modo aegrum in tali cubiculo curare poteris, quod nec nimis frigidum, nec nimis ſolis aeſtibus expoſitum eſt. Debebis porro talem eligere diem, qui ſit ſerenus neque caliginofus, ita, vt poſſis acus progreſſum et iter in oculo ipſo perſpicere; tamen neque ante meridiem, meridianus ſol, neque poſt meridiem occidens ſol in oculum aegrotantem irruat. Sedeat aeger in ſedili demiffiori, in altiori autem medicus ocularius et ita, vt lux non ex aduerſo, ſed a latere in oculum incidat. Habeat miniſtros duos, alium, qui caput teneat et alium, qui inſtrumenta porrigat. Inter inſtrumenta mihi, vt iam innui, imprimis *Briffavii* et *Pottii* acus placent; ſed priorem *Pottianae* etiam praeferrem. Praeter acum vero ad manus habeat chirurgus et illa inſtrumenta, quae ad extrahendi artificium ſunt idonea, vt ſi illud factu neceſſarium iudicetur, ſtatim praesto ſint, et lintea ad deligationem apta. Quibus bene compoſitis ad curationem ipſam accedat chirurgus. Obtegatur oculus alter, in quo nulla nunc curatio peragenda, ſive ſanus fuerit, ſive ſuffuſione et ipſe affectus, linteo duplicato, perfri-
cetur oculus curationi mox ſubiiciendus, vt venae oculi eo melius appareant, quas laedere iuſto plus noxium foret, ad-
moneat-

moneatque aegrum chirurgus, ut dirigat oculum versus nasum; mox teneat oculum aegrotantem inter pollicem et digitum indicem manus sinistrae, ne oculus moueatur vel utatur oculi specillo, quo tamen instrumento carere potest quilibet chirurgus, qui manu firma gaudet. Tum manu dextra apprehendat acum instructam manubrio signo aliquo distincto, ut prouti inuerterit acum, exterius conspiciat et immitat ipsam paulo infra medium oculum, loco duabus et dimidia linea a cornea distante ^x), ducat eandem ex superioribus versus posteriora et inferiora lentis, ut possit capsulam lentis posterius aperire, qua aperta demittat lentem obscuratam versus inferiora humoris vitrei ita, ut anterior lentis facies ad interiora, posterior autem ad superiora spectet, tandem educat acum ex oculi camera posteriori, commissis oculi palpebris lente et circumspecte. Si autem suffusio in varias particulas diuisa fuerit, singula particula deducatur ^y); vel si suffusio omnino mollis fuerit, capsula antea aperiatur ita, ut turbida in anteriorem cameram defluat, in qua vel sua sponte vel adhibitis medicaminibus plerumque ita dissoluitur, ut nullum omnino remaneat impuritatis vestigium. Si reascenderit depressa lens, denuo curatio administranda est, donec fixa humori vitreo inhaeserit. Curari sinister oculus dextra manu, dexter sinistra debet.

Manuum artificio sic peracto, conuenit scire, qui situs aegro conducat, quae sint euitanda, quae deligatio instituenta et quoties ea repetenda. Oculo nimirum linamenta, medicamento, quod inflammationem coercet, tincta, imponenda sunt, quae quauis quarta vel tertia hora, si sicca

C 2

eua-

^x) *Perit* II. cc. *Pouffe* et *Gentil* l. c. 51. *Ianin* ap. *le Blanc* l. c.
^y) *Olof Acrel* l. c. I. 114. *Günz* l. c. p. *Olof Acrel* l. c. I. p. 125.



euaferint, iterum madefacienda sunt, ne comprimant oculum, et super haec datur pannus conduplicatus et fascia circularis, quae capitis velamini affigenda neque nimis arcte constringenda est. Inter medicamina, quae oculis applicari possunt varia ab *Olof Acrel*^{z)}, *Platnero*^{a)} et *Mohrenheimio*^{b)}, enumerantur. Septimo post curationis administrationem die, resoluenda est fascia in loco obscuro, et simulac aegrotus animaduernerit tenebras, sperandum est, curationem ex voto successisse; quapropter tunc luci exponi poterit sensim oculus, ita tamen, ut plures radii ab oculo remoueantur charta viridi, quae capitis velamini superne affigenda est. Situs imprimis conueniens post operationem ille erit, quo aeger in lecto erecto capite, tanquam federet, tranquillus tenetur. Inter ea, quae vitanda sunt, pertinet hoc, ut caueatur, ne aeger tussiat, rideat, sternutet, vomat vel ob cibum duriores maxillam inferiorem nimis frequenter moueat, quae omnia efficere possent, ut depressa lens denuo erigeretur. Quapropter curet medicus priusquam curationem administret, ne suffusione qui laborat, morbo afficiatur catarrhali, et ut aër, in quo uiuit, purus et quietus sit. Emerica omnia euitentur, ut et ea, quae membranam schneiderianam possent irritare; immo propinantur antemetica, ut, laudanum liquidum cum oleo amygdalarum dulci e. s. p.

Sed sub finem huius prolusionis exponendum est, utrum in omni suffusione depressio locum habeat, an interdum extrahendi artificium quoque conueniat et a nobis commendatae curandi methodo praeferendum sit. Sunt nimirum alia suffusionis genera, in quibus lentem deprimere conuenit, alia,

z) l. c. I. 117.

a) l. c. p. 897.

b) cf. p. 8.




alia, in quibus cataractam extrahere necesse est, et examinandi sunt aegri sedulo, priusquam curandi methodum elegeris ^{c)}. Oportet autem deprimere lentem inprimis, vbi camera oculi anterior nimis angusta est ^{d)}, vbi pupilla parua, et coarctata, vbi cornea nimis laxa aut nimis rigida est, vbi suffusio mollis est, vbi oculus profunde in orbita delitescit, neque protuberat. In hisce enim casibus multum detrimenti, si lentem extrahere conareris, metuendum esset. Simili ratione praeferatur depressio extractioni tunc, vbi aeger aliqua humorum acrimonia detinetur. Namque si iis, qui vel acrimonia podagrica, vel scrophulosa vel siphilitica laborant, lens ex bulbo extrahitur, facile cataractae secundariae atque diuturnae inflammationes superueniunt ^{e)}, quae omnem turbant visum neque partes discissae illico consolidantur. Sic nec conuenit cataractam extrahere iis, qui vina copiosius bibunt, qui dentes cariosos habent, qui cephalalgias, ophthalmias, lippitudinibus, erysipelate, hysteria, conuulsionibus etc. detinentur. Tales ob causas plures aegros visu priuatos vidi. Sic in viro sexaginta circiter annorum, cui vna lens extracta, altera in altero oculo depressa erat, ille oculus, qui lentis extractione curatus fuerat, adhuc lacrymabat, atque inflammatione, quamuis exigua, vexabatur, cum e contrario oculus, in quo lens depressa fuerat, neque lacrymas funderet neque inflammatus esset. Saepe etiam, si suffusio ex bulbo oculi educitur, humores maligni ad oculum feruntur. Est enim, vti notum est, haec materiae podagricae et fere cuiuslibet morborum causae indoles et natura, vt transmigret quasi ex vna sede in alteram. Sic igitur accidere potest, vt talis acrimo-

C 3

nia

c) *Ianin ap. le Blanc l. c.*e) *Gendron l. c. Tom. II. p. 274.*d) *Richters chirurgische Bibliothek* seqq.



nia feratur ad lentis velamentum, vucam retinam vel aliam oculi partem, vnde mydriases, inflammationes, amauroses hypopya et alia eiusmodi mala oriuntur. Aliorum oculi tam sunt irritabiles, vt vix possis eos afflare, quin oriatur inflammatio, cuius generis exemplum supra retulimus ^{f)}. In tali casu quoque melius est, lentem deprimere, quam extrahere. In aliis hominibus tanta sanguinis copia deprehenditur, vt neque venaesctionibus, neque diaeta minui possit, e quo genere plura vidimus exempla. Et in tali casu deprimendi artificium, ei, quo lens extrahitur, praeferatur.

At enim vero nollem de quocunque suffusionis genere affirmare, depressionem extractioni semper esse anteponendam. Nonnunquam enim extrahendi artificium optime succedit et in illis inprimis aegris, qui nulla acrimonia, nulla idiosyncrasia irritabili neque nimia laborant plethora, in istis, quibus est cornea elatior, mollis neque tamen laxa, camera anterior spatiosa, pupilla magna, oculus protuberans, bono cum successu extrahendi artificium adhibetur. Interest itaque multum scire, quibus in casibus depositio lentis instituenda et quibus aegris extractione visus seruandus est.

Quae cum ita sint, vellem quemlibet chirurgum in vtraque methodo exerceri ita, vt, prouti diuersitas ipsius suffusionis et reliquarum conditionum postulauerit, vel hac vel illa vti posset. Hoc enim certissime mihi persuasum habeo, symptomata, quae depressionem subsequuntur mitiora esse iis, quae a lente extracta oriuntur. Et conscripsimus hanc breuem dissertatiunculam eum modo in finem, vt referremus, quid de vtraque hac curandi methodo et inprimis de depressione iudicandum sit, vtque chirurgiae dediti priscam curandi rationem adhiberent eamque denuo discerent. In quolibet enim

f) p. 10. Idem notat Janin ap. le Blanc l. c.



enim oculo extrahendi artificio vti, cum anatomicis observationibus et sectionibus, tum experientiae aduersaretur. De chirurgia manuali enim in vniuersum valet, quo plures methodos chirurgus cognouerit et in vsum conuertere didicerit, eo felicius eum in administrando munere suo posse versari. Singulis enim morbis atque curandi modis apparatus accomodare, methodum idoneam eligere et ipsam, si necesse est, varie mutare, chirurgi exercitati atque ingeniosi est. Neque enim quaeuis chirurgia eadem ratione effici potest.

Sed haec quidem haecenus, ne iusto longiores simus. Nunc enim progrediendum est ad ea, quae mihi huius speciminis scribendi occasionem praebuerunt. Monet autem me officium, vt id, cuius causa haec scripta sunt exequar, iubetque pietas. Quum enim nuper SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI FRIDERICO AVGVSTO, Domino meo indulgentissimo eiusque amicis pro summa, quam veneramur clementia placuerit, vt Medicinae Professoris munus extra ordinem mihi in hac Vniuersitate demandaretur, pro clementissimo hoc beneficio decentissimae iam agenda sunt gratiae.

Quapropter peragam, quod pietas praecipit atque, vti a maioribus institutum est d. XXII Febr. nouum munus solemni oratione auspicabor.

Quem diem meum, vt praesentiae suae beneficio ornare velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS PRINCIPES CELSISSIMI ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQVE REI PVBLICAE PROCERES GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI COMMILITONES ea qua par est, obseruantia rogo.
P. P. Dom. Septuag. A. R. S. c1o1occlxxxiii
